





*Hist.*  
*III. C. 3.*

*w* 21  
**THESES JURIDICÆ  
MISCELLANEÆ,**

QUAS  
SUB DIVINI NUMINIS AUSPICIIS  
DECRETO ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS

PRO  
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS  
RITE CONSEQUENDIS

DIE 29. JUNII A. C. CI<sup>o</sup>. 10 CCXXV.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**JOHANNES GRYNÆUS,**  
BASILEENSIS.



BASILEÆ,

Typis E. & J. R. THURNISIORUM, Fratrum.

*VIRO MAGNIFICO ATQUE AMPLISSIMO  
GENERIS SPLENDORE , MUNERUM DIGNITATE,  
MERITORUM GLORIA  
IN SIGNI , DOMINO*

**DN. ANDR. BURCARDO,**  
**INCLYTÆ REIPUBLICÆ BASILEENSIS**  
**CONSULI**

*PATRIÆ PATRI  
PATRONO ATQUE AVUNCULO SUO MAGNO  
OMNI CULTUS OBSEQUIQUE GENERE  
ÆTERNUM OBSERVANDO  
CUM OMNIGENÆ PROSPERITATIS  
PLACIDÆQUE SENECTUTIS VOTO  
EXILES HASCE PAGELLAS  
EA , QUA PAR EST , ANIMI SUBMISSIONE  
D. D. D.*

AUTHOR.



## Thesis I.

**F**acultatem cogitata invicem communicandi esse insigne donum, quod Benignissimum Numen humano generi præ reliquis animantibus præcipuum concessit, ejus tamen usum promiscuum esse non debere, sed certis legibus adstringendum, in eo consentiunt, qui Juris Naturalis præcepta nobis tradunt, dum tractationis sua partem aliquam officiis Sermocinantium exponendis impendunt; Quia in disquisitione, ut mihi quidem videatur, is optimè procedet, qui accuratius paulo ad finem attendet, ob quem Deus sermonis usum hominibus concessisse videtur; Quod si enim de hoc semel constat, facili negotio discitur, ea omnia, quæ scopo huic assequendo inferiunt, præcepta esse; Vetita contra, quæ cum eodem pugnant.

## II.

Juvat vero paulisper eidem Methodo insistere, meamque hac de re sententiam paucis exponere; Sic itaque sentio, Deum O. M. postquam hominem mente illa divinæ particula auræ donasset, quo præstantius, totique humano generi utilius hoc donum redderet, voluisse infuper, ut quæ animo volveret & agitaret homo, certis quoque & indubitate signis aliis patefaciendi haberet facultatem, huncque in finem loquelæ usum ei concessisse; Concesso sermonis usu, consequens erat, ut, qui ea facultate gau-  
A 2 debant,

debant, non solum cum liberet meditata sponte in commune conferre possent, sed & aliquando tenerentur, mentem suam aliis aperire, tum nimurum, cum vel pecunie pactum, vel Lex communis humanitatis, vel praesentis negotii indoles id omnino requireret.

## III.

Ex altera quoque parte, cum inutile id, imo etiam noxiūm atque injustum esset futurum, si unusquisque teneretur mentis suæ cogitata omnia cuilibet obvio & re quirenti patefacere, facile perspectu est, Sapientissimum Humanī Generis Conditorem id fieri noluisse, sed econtra hominibus potestatem concessisse, ut ea, ad quæ proferenda, cumque aliis communicanda nulla Juris necessitate adstringerentur, in mente reservare, atque importunum aliquem percontatorem silentio amovere possent; Hinc adeo duobus his assertis omne hominis circa Sermonem officium comprehendi posse videtur. 1mo. Sive sponte inductus, sive ex officio sermones cum aliis miscet, Verba Tua cum mente semper consentiant; 2do. Nisi ex officio tenebris cogitata animi Tui alteri patefacere, licite filebis.

## IV.

Probe equidem scio, eos, qui Jura Naturalia præceptis complexi sunt, fere omnes quasi unanimi consenserunt certis in casibus mendacia licita pronuntiare; Quod tamen an adeo certum sit, atque ipsis videtur, paucis inquirere, opera pretium fortassis erit; Magnus ille Grotius omnium minime fidenter mendacia adprobat, imo

(a) Vid. Opus de Jur. Belli & Pac. (a) maximè in hac questione asturavit, atque vix alio argu-  
Gall. Vers. mento magis, quam summa illa observantia, qua primi-  
Cl. Barbey- tivæ Ecclesiæ Patres, eorumque dicta omnia profe-  
raciil. 3. C. I. batur, ad hanc sententiam adductus videtur.  
§. 9. nota 8.

## V.

## V.

Ulterius progrereditur (a) Puffendorffius, & majore<sup>(a)</sup> vid Lib  
 etum fiducia afferit, quod ubicunque aliqua vel tertii, vel<sup>de Offic.</sup>  
 illius ad quem Sermonem dirigo, vel etiam mea versatur<sup>Hom. & Cil.  
 utilitas, neque cuiusquam Jus læditur, liceat mihi ser-<sup>vis Part. 1.  
 monem ita formare, ut diversum quid ab eo, quod in  
 animo volvo exprimat; Sed hæc quidem sententia ma-  
 gnis multisque videtur obnoxia difficultatibus; Cum  
 enim in. in dirigendo sermonis usu Viro Illustri usque  
 adeo in censum veniat utilitas, videtur aliquo modo sup-  
 ponere, ac si eorum Institutorum, quæ commodis hu-  
 mani Generis inserviunt, usus esset arbitrarius, atque in  
 quolibet obvenienti casu per utilitatem inde sperandam  
 dirigeretur demum & determinaretur; Cum tamen pot-  
 ius dicendum sit, certum aliquem & determinatum mo-  
 dum a natura esse præscriptum, quo demum adhibito ex  
 his talibusque institutis ad Societatem Humanam redundent  
 commoda, a qua proin generali regula non est de-  
 flectendum, quanquam in peculiari aliquo casu huic vel  
 illi aliquod incommodum inde nascitur, utpote quod  
 abunde pensatum intelligi debet insigni illa utilitate, quæ  
 ex diligenti regulæ observatione ad omnes pertingere  
 potest.</sup></sup>

## VI.

2do. Loco ipsi objici potest; Nunquam contingere,  
 ut, qui mendacio erga me utitur, non eadem opera mi-  
 hi inferat injuriam; Veritas enim per se, circa quodcumque  
 denum versatur objectum, satis est æstimabilis, ani-  
 musque noster ita comparatus, ut eandem Summo Stu-  
 dio sectetur, adeoque is, qui sub specie locoque veri  
 fallum nobis obtrudit, Justitiae regulas violasse merito  
 dici potest; Unde & promiscue contingere videmus,

ut, quandocunque & quoconque in negotio verba sibi data sentiunt homines, licet nullum aliud inde damnum ad ipsos redundet, indignentur tamen, & de injuria sibi illata conquerantur.

## VII.

Sed & 3tio hoc assertum Puffendorffii omni fere usu caret, & ad effectum vix unquam deduci potest; Licet enim Tibi dem, posse contingere, ut alter mendacio Tuo non laedatur, de eo tamen securus esse haud ita facile poteris, neque proin Tibi quicquam agere licebit; Exemplo rem illustrabo; Fastidiosus, ut fentit Puffendorffius, ad capienda medicamenta mendacio permoveri potest, finge vero ægrotantem quandam per corporis temperiem adeo vehementer a quadam medicina abhorre, ut absque maximo valetudinis dispendio eam adhibere nequeat, cuius rei Tu ignarus, & fastidium ejus nimia tantum mollitatem tribuens, præterea hoc medicamentum ad hunc morbum ægrotis utiliter dare assuetus, præ te fers, Te aliam aliquam potionem miscere, quo facilius eum ad capiendam eam inducas; Bibit igitur ille, sed statim naturali horrore ita concutitur, ut vis morbi augeatur multum, non minuatur; Tale quid & in reliquis exemplis omnibus, in quibus mendacium licite intervenire vult Puffendorffius, observari potest; Infinita enim est casuum varietas, unicaque circumstantia ignorata rem eo deducere potest, ut ex insperato maximum damnum ex mendacio Tuo ad alium redundet.

## VIII.

Ultimo tandem loco & hoc notandum est, quod Puffendorffii sententia ita crude proposita sermonis usum omnem tantum non tolleret, Veritatemque & Fidem ex homi-

hominum Societate propelleret; Quid enim, si quæ ha-  
ctenus dicta sunt, nullo niterentur fundamento, liceret,  
ubicunque mea verfatur utilitas, simul etiam nullo, quod  
in oculos incurreret, damno afficeretur alter, mendaciū  
dicere; id est, ut uno verbo rem complectar, mendacia  
in earum rerum classem effent referenda, quæ sua  
natura nec bona sunt nec malæ, quarumque solus abu-  
sus turpitudinem aliquam moralem in se habere solet;  
Quemadmodum igitur cibo, potu, atque ambulatione  
corpus refocillare licet, ita liceret mihi etiam mendaciis  
meam utilitatem promovere, dummodo id diligenter ob-  
servarem, ut nemini aliquid inferrem damni; Ex altera  
parte quoque omnis fere Fides proscriberetur, quia,  
ubicunque ex alterius sermone nullum ad Te redundat  
damnum, semper dubitandum Tibi est, num verum di-  
xerit, cum nescias, an non in mendacio aliqua ejus ver-  
etur utilitas.

## IX.

Celeberrimus Barbeyracius in notis Versioni Gallicæ  
utriusque Operis Puffendorffiani subjunctis, ut huic ob-  
jectioni iret obviam, sententiam Authoris sui ita restrin-  
git, ut dicat, officia Hominis circa Sermonem non so-  
lum ad Iustitiae atque Charitatis, sed & Prudentiae leges  
esse exigenda, neque proin, ubicunque illæsa Iustitia id  
fieri possit, mendacio uti licere, nisi negotium majoris  
momenti, atque utilitas haud contemenda id suadeat;  
Cavendum quoque esse unicuique, ne licitis mendaciis  
nimis indulgendo eam sibi mentiendi contrahat consuetu-  
dinem, quam nec tum, ubi Jus mentiendi nullum ha-  
beat, deponere queat; Quæ si quis observaverit, tum  
nihil esse, quod in sententia Puffendorffii culpari amplius  
queat; Nos igitur jam ea quoque examinabimus, quæ a  
Viro Celeb.ad struendis sui asserti gratia ulterius adducuntur.

## X.

## X.

Allegat inter alia quoque duo Exempla ex Sacris Litteris petita, ubi qui mendacio usi sunt, vel Dei meruerint approbationem, vel omnino Dei iussu id fecisse dicantur; Quæ quanquam ad nostrum forum propriæ non pertinent, licebit tamen paucis ad ea respondere, atque monstrare, quod & inde nihil elici queat, quod ipsius sententia faveat; Primum Exemplum est Prophetæ ad Regem Achabum missi, cuius fit mentio primo Libro Regum Cap. 20. v. 35. & seqq. Sed ibi reperies quidem hunc Prophetam casum aliquem Regi sub ficto nomine, (sive suum jam sive alterius nomen interponeret, id ad rem nihil facit,) decidendum proposuisse, quo Regem induceret, ut propria sua sententia se ipsum, utpote qui in simili casu verlabatur, reum pronuntiaret; Mendacium autem intercessisse non reperies, nisi omnes Parabolæ, figuratos Orientalium populorum loquendi modos, Fabellas, taliaque in mendaciorum classem referre velis, quod tamen a nemine factum credo.

## XL.

*Exodi C. 1.* Alterum Exemplum est Obstetricum Hebræarum in Ægypto, quæ ob delusum mendacio Regem Pharaonem præmio dicantur a Deo affectæ; Sed & hic facilis est responsio; Quod si enim tantisper concedamus, has Obstetrics mendacio fuisse usas, tum vero abunde satisfaciunt ea, quæ jam fuse ac solide ab aliis sunt allata, quod Deus nullibi mendacium harum mulierum proemio affectisse dicatur, quod potuerit remunerari pronam illarum ergo Judæos voluntatem, absque ut medium adprobaret, quo ad demonstrandam hanc benevolentiam usæ sunt, quod denique proemia a Deo in ipsas profecta temporalia tantum

tantum fuerint, quæ beneficio ab ipsis in Judæos collato aliquomodo responderint; Sed his quidem ulterius non immorabimur, id potius notabimus, merito adhuc in quæstionem vocari, ~~nam~~ Obstetrics mendacium dixerint? Hoc fane Textus Sacer non tantum expresse haud profitetur, sed nec contextus totaque historiæ illius series indicat; Id quidem certum est, quod Obstetrics impio Regis mandato de occidens Hebræorum puerulis obsequium non præstiterint, ejusque rei causam requiri Regi hanc reddiderint, Hebræorum Uxores adeo esse vel vividas vel artis obstetricandi peritas, ut sua opera in pariendo non indigeant; Nihil vero impedit, quo minus rem ita vere contigisse credamus, ut Hebrææ mulieres de crudeli Regis mandato certiores factæ demum partu in lucem jam edito Obstetrics accersiverint, simula que a Deo ita fuerint confirmatae, ut absque Obstetricum opera foetus suos eniti potuerint,

## XII.

Sed jam ulterius progrediemur, ipsamque hujus negotii naturam introspiciemus; Quod si enim hoc in nostro casu Obstetrics, ut vitam innocentibus Hebræorum puerulis servarent, verba dare Pharaoni licite potuerunt, tum non potuerunt tantum, sed & debuerunt; Quando cunque enim quis licitis mediis magnam aliquam calamitatem imo mortis periculum a proximo suo avertere potest, ita tenetur istud medium arripere, ut nisi id faciat, contra Jus Naturale peccasse censeatur; Mendacium igitur hoc in casu non tantum turpitudinem moralem omnem exuit, non tantum permittitur, imo non bonum tantum erit & laudabile, sed & modo urgentissimo injunctum a lege atque præceptum dicendum est.

B

XIII.

## XIII.

Quid vero si Rex Pharao simplici Obstetricum asserto fidem habere noluisset, sed insuper ab ipsis requisiisset, ut interposita Juris Jurandi religione dicta sua confirmarent, num id facere absque culpa potuissent? Juramenta certe negotii, cui accedunt, naturam non immutant, sed tantum confirmationis gratia adhibentur, atque adeo in quocunque negotio licto Jus Jurandum interponi potest, si gravis aliqua ratio id exigat; Jam vero cum Obstetrices istae non tantum absque ulla turpitudine possent, sed & ex officio tenerentur, Vitam Hebreorum Parvolorum mendacio suo redimere, horum alterutrum omnino dicendum videtur, vel quod mendacium suum Juramento licite confirmare potuerint, vel quod simplex etiam earum mendacium culpa non vacaverit.

## XIV.

Si quis sit, qui prius eligat, hunc rogabo, an non credat, eum, qui sciens Deum mendacii sui testem vindicem invocet, Læsa Majestatis Divinæ reum Jure argui posse? Regeret forte, nolle Deum testem agere vel vindicem illius perjurii, quo vita hominis innocentis servata fit; Sed tum id mihi dicere videtur, esse voluntatem Dei, ut proximi nostri vitam tueamur adhibitis etiam mediis, quæ direcťe ad summam Divinæ ejus Majestatis tendunt ignominiam, sive homuncionis vitæ magis quam sibi debito honori Deum consultum velle; Posset quis eadem ratione abnegando Numinis existentiam, vel effutiendo blasphemos Sermones suam vel proximi vitam redimere, quod credibile haud sit, Deum talia tanquam ignominiam nomini suo illatam vindicaturum,

rum, quibus hominis vita servata sit. Plura non addo, cum ea, quæ hucusque polita sunt, principia sufficere arbitrer, unde & reliquis contrasentientium argumentis satisfieri queat.

## XV.

In Statu Naturali competere unicuique homini facultatem quemicunque alterum Legis Naturæ præscripta migrantem coercendi, poenaque delicto convenienti afficiendi, subindicavit jam (a) Hugo Grotius, & post illum Angliæ illud decus (b) Joh. Lockius fusijs demonstravit; Puffendorfius vero, & qui eum secuti sunt plures alii, hoc Grotii bellum, ut vocant, punitivum agnoscere noluerunt; Nos paucis id agemus, ut Puffendorffio ejusque alleclis approbemus, ex ipsorummet principiis hoc Jus posse deduci, Imo itaque loco dico, nisi hanc puniendi facultatem hominibus concedamus, Legem Naturalem fore quam maxime imperfectam, parteque aliqua sui essentiali caritaram; Omnis enim perfecta Lex duabus constat partibus, quarum una, quid agendum fit, monstrat, altera inobedientibus poenam minatur; Quænam vero esset Sandio Legis Naturæ? Quæ poena transgressorum maneret? Si regeras, Æternum Supplicium, respondeo, juxta Puffendorfium Jus Naturæ ambitu hujus vitæ includi; Deinde cum Deus Societatem humanam utique conservari velit, præsentiori procul dubio remedio ipsi erit succurrentum, quam eo, quo nocens quidem punitur, sed tum denum, cum Societati amplius utilis esse nequit, prætereaque ex ipsius poena non ita ob oculos hominum posita alii exemplum sibi vix capient; Si dicas, in hac Vita Deum visibili quodam modo improbos Legem suarum Transgressores statim coercere, Experientiam reponam, qua contrarium clare evincit, unde consequitur, aut Sanctionem Legis Natu-

(a) in Tr. de  
Jut. Bell &  
Pac. lib. 2.  
cap. 20. §. 3.  
(b) Traité  
du Gouver-  
nement Ci-  
vil chap. 1.

Naturalis esse admodum imperfectam, aut unicuique homini concedendum Jus alterum Leges illas migrantem poena afficiendi.

## XVI.

2do. Cum humani Generis Salus, & Societatis conservatio unice accurata Legum Naturalium observatione contineatur, is fane qui has Leges proterve neglit atque infringit, satis superque declarat, se bellum universo generi humano indicere, adeoque quivis alius, cui quantum in se est, Societatis conservatio curæ esse debet, ex officio tenebitur, noxiū hunc hominem cohíbere, media nocendi ei adimere, maloque insuper eum afficere, ut in posterum cautius agere discat, atque Societati amplius ab eo periculi nihil sit metuendum; 3tio. Quæro, annon interfit generis humani, improbos & violentos homines reprimi atque puniri, etiamtum cum is qui pri-mario lœsus est, injuriam sibi illatam persequi aut non vult, aut non potest. Nisi hoc concedas, fatearis oportet, Latrones raro aliquo ac peculiari privilegio facrofancos esse debere & inviolabiles, ea solummodo ex causa, quod mature providerint, ne quis supersit, qui de injuria sibi ab ipsis illata queri possit.

## XVII.

(a) Puffend. 4to. (a) Bellum potest gerere quilibet non tantum de Offic. pro se, sed & pro altero vi injusta tertii oppreso; Ait Hom. & C. L. 2. C. 16. haec fane inter justas bellandi causas in ejusdem Capitis §. 11. a Puffendorffio non recensetur; Quo igitur Jure quis id faciet? Communi certe omnium hominum, quod ipsis facultatem concedit, hunc injustum Societatis humanæ perturbatorem repellendi, maloque multandi; Si quis ulterius objiciat, Poenam saltem a Superiore jungi,

jungi, in Statu vero Naturali omnes homines esse æquales, cum hoc equidem de nomine non multum litigabimus, dummodo rem ipsam habeamus; Cum tamen Deus eum Societati humanæ posuerit modum, ut conservari aliter integra atque tranquilla nequeat, nisi qui injustas in ea turbas excitant, reprimi a quovis ejus Societatis membro, maloque affici possint, dicendum fane est, unicuique a Summo Legislatore poenæ illius, quam Legis Naturæ transgressoribus dictaverat, executionem ita esse delegatam, ut non suo sed Legislatoris nomine eam exerceat; Quod mandatum si quis exequatur, cum Summæ Authoritatis Jussu ac voluntate id faciat, quare alterum poena affecisse dici nequeat, non video.

## XVIII.

Summorum Imperantium jussis in rebus licitis praestare Subditos obsequium, id vero Natura Societatis Civilis omnino requirit; Nec minus econtra certum est, si impia sint & cum Lege Divina pugnantia Imperantium mandata, Deo magis obediendum quam hominibus; Sed magis ardua est illa disquisitio, quid subdito tum agendum incumbat, cum de mandati fibi injuncti qualitate, utrum cum Lege Divina pugnet, nec ne? dubitat;

(a) Sunt qui difficultem hunc nodum solvi posse putant hoc argumento; Certum esse subditos debere Principum jussis obsequium; Dubium autem tantum modo, an ea jussa sint injusta, sequendam igitur esse partem tutiorem, & mandato obtemperandum; Sed eos qui ita sentiunt, in verbis tantum ludere facile monstrari potest; Certum est, inquiunt, Subditos debere Principum jussis obsequium; Quæ propositio aut hoc intendit, omnibus etiam impiis jussis obtemperandum, & tum falsa est, aut vult, iis Jussis deberi obsequium, de quibus dubitant Subditi annon cum Lege divina pugnant, & tum sup-

(a) Vid. Cl.

Barbeyr. no-  
ta 12. §. 4.

C. 26. Lib. 2.

in Gallica  
Verf. Oper.

Grotiani de  
Jure Belli. &

Pacis, item  
Cl. Webbe-

rurn in nota  
1. §. 9. C. 12.

Lib. 2. Puf-  
fend. de Off.

Hom. & Civ.

ponit id quod est in quæstione , vel tandem intendit , Licitis tantum jussis obtemperandum , & tum nihil probat , quia de Licitis Jussis ad ea , de quorum qualitate dubitatur , non valet consequentia .

## XIX.

Principium ex quo Puffendorffius Jus Naturæ deducit , licet speciofo Socialitatis nomine insigniatur , non tamen eam , quam deberet , communem omnium erga omnes benevolentiam denotat , sed potius sui conservandi Studium cum metu ex aliorum potentia & malevolentia orto conjunctum , unde nullus dubito , quin Legum naturalium obligatio alio adhuc modo dignitati atque Excellentiae generis humani convenientiori demonstrari queat ; Nec tamen hunc Puffendorffii laborem sua laude privandum existimo , cum ipsius rationes etiam improbum hominem , qui deposita omni erga alios benevolentia suis tantum privatis commodis moveretur , convincere possint , esse quasdam Leges , quibus omnium Salus contineatur , quæque adeo observandæ sint , licet aliquando privato suo commodo aliquid inde decedat , quo principio etiam latrones inducuntur , ut certum ordinem , quasdamque Leges inter se obseruent .

## XX.

Testamenta , quibus declaramus , quid post mortem nostram de rebus nostris fieri velimus , Jure Naturæ esse invalida , omneque suum robur a Lege Civili accipere quibusdam placuit ; Verior tamen videtur vulgaris opinio , quæ Testandi facultatem Juris esse Naturalis , Solennitates vero demum Testamentorum a Jure Civili superaddi vult ; Nam imo unusquisque naturaliter , dum adhuc vivit , facultatem habet , res suas in aliud cum eo effectu

effectu transferendi, ut & post mortem suam apud illuni  
maneant, sive, quod idem est, quid de rebus suis post  
mortem fieri velit, disponendi, & 2do. Testator vo-  
luntatem habet res suas ita transferendi, quæ voluntas,  
licet sit revocabilis, & in eventum mortis Testatoris su-  
spensa, tamen si, hac morte subsecuta, revocata aut mu-  
tata haud deprehenditur, rata censeri debet & plena;  
Negotio sic ex parte Testatoris perfecto, si acceptatio hæ-  
redis accedat, quin hæreditas ipsi valide acquiratur, du-  
bitari nequit, cum ea requista omnia adfint, quæ in va-  
lida dominii translatione adesse debent.

## XXI.

Num is, qui metu permotus alteri injustum me-  
tum incutienti aliquid promisit, ad præstandum pro-  
missum obligetur, celebris est quæstio; Mihi affirmati-  
va sententia cum Grotio magis placet, quoniam verus  
atque liber promittentis consensus adfuit; Nam & is,  
qui inter duo mala minus eligit, revera in id consentit,  
& metus, dummodo talis non sit, qui mentem omnino  
turbet, omnemque ipsius usum adimat, metus, inquam,  
licet hominem movere multum possit, omnem tamen  
animi libertatem ei adimere nequit; Et quemadmodum,  
qui gravi admissio scelere metu se adactum id fecisse cau-  
saretur, ab omni culpa ne ab ipsis quidem contra sen-  
tientibus liberaretur, quia metum vincere potuit & de-  
buit, merito etiam non audiendus est is, qui promissum  
præstare non vult, propterea quod metu ad promitten-  
dum inductus fuerit; Unum enim idemque fundamen-  
tum est, quod efficit, ut actiones nostræ nobis imputari  
queant, quodque pactis nostris & promissis robur & va-  
liditatem conciliat.

## XXII.

## XXII.

Sunt tamen, qui hic ita distinguunt, ut sufficere dicant ad imputationem malæ actionis, si vel minima Libertatis portio perpetranti reliqua manferit, Pacta vero & Promissa debere esse quam liberrima, imo & spontanea, cum ex eorum negotiorum genere sint, quæ utrum fuscipere velimus, nec ne, a nostro beneplacito unice dependeat; Sed hæc distinctio nullo nititur fundamento; Nam si id omne, quod hominis libertatem vel minimum imminueret, ipsumque ad promittendum vel paciscendum pelliceret, statim liberum consensum impeditret, pauca sane pacta rata manerent, cum plures aliæ sint vehementiores animi concitationes, quæ æque ac metus aut etiam magis Libertati detrahunt, atque ad agendum homines impellunt, quibus tamen si quis inductus promittit aut paciscitur, nemo dubitat, quin teneatur: Deinde ubi in nostro est arbitrio actionem fuscipere vel non fuscipere, injuria procul dubio nos afficit, qui ad agendum nos cogit, sed propterea actio non fit irrita, nam alias iterum infinita negotia essent invalida, quæ sponte non fuscipiuntur; Pactum v. gr. quod quis metu reverentiali permotus celebraret, non magis valere posset, quam id quod Latro vi injustissima extorqueret.

## XXIII.

Objiciunt porro, illum qui injustum metum alteri incussum, incapacem esse, qui ex illo actu Jus aliquod adversus alterum acquirere possit; Atqui nec nos quidem Jus ejus ex vi Injusta, quam intulit deducimus; Sed cum, ut modo vidimus, alterius, qui metum passus est, promissum validum nihilominus sit atque obligatorium, potest

poteſt certe is, cui promiſſum factum fuit, id acceptare, atque ex hac ſua acceptatione id Juris ſibi acquirere, non quidem, ut rem promiſſam legitimate poſſideat, ſed ta- men, ut illam a promittente præcife accipiat; Neque proin illis adſentiri poſſum, qui dicunt, quod ipli etiam Grotio placuit, eum, qui iuſto metu incuſo alterum ad promittendum adegit, teneri ad reparandam injuriam, ſicque per compensationem velut tolli obligationem, ſi promittens non ſolvat id, quod alter ſtatim reſtituere debeat; Nam iſi hoc eſſet, potius promiſſum ab initio ſtatim nullum fuſſe pronuntiare, quam hoc uteror circuitu; Mihi vero pacta & promiſſa, ſi valida ſunt, ita videntur interpretanda, ut effectum aliquem fortiri queant, adeoque in noſtro caſu neceſſario haec quafi tacita conditio ſubintelligi debet, ut promittens id, ad quod ſeſe obligavit, præcife præſtet, quoniam alias irri- tum redderetur promiſſum, quod tamen ratum eſſe de- bere ſupra monſtravi; Ut paucis, quæ haclēnus dixi, illuſtre, Is, qui iuſta vi Latronis v. gr. adactus, cer- tam quandam pecuniaſ ſumma ei promiſit, ſolvere eam tenebitur, cum eodem modo res ſeſe habeat, ac iſi pecuniam, cum in Latronis poteſtate erat, ſecum habuiſ- ſet, eaque tunc a Latrone ipli fuſſet erepta.

## XXIV.

Quando de parentum poteſtate in Liberos diſſerunt Juris Naturalis Doctores, querunt inter alia, Utri pa- rentum naturaliter in prolem maius fit tribuendum Jus, utriusve adeo Imperia, ſi ſibi invicem contrarientur, fint præferenda? Ego ſic responderem, Neuti paren- tum naturaliter in prolem ſuam aliquam poteſtatem com- petere; Omnes homines enim natura liberi naſcuntur, & nullius Imperio ſubiecti; Cum tamen parentibus hoc

C

incum-

incumbat, ut liberis ex se natis alimenta præbeant eorumque educationem in se suscipiant, tum vero, si hoc officio satisfacere volunt, quædam in liberos potestas ipsis necessario tribuenda est, quandoquidem alias educatione rite peragi nequit; Unde sequitur, quod, ubi Parentum alteruter Liberorum curam solus in se suscipit, alter vero plane negligit, illi potius quam huic debeant liberi obsequium; Sin uterque parens simul educationi Liberorum præsit, patris imperia, cæteris paribus præferenda centeo, quoniam is caput est familiæ, eique naturaliter facultas competit, negotia, quæ familiam concernunt, dirigendi.

### XXV.

Ex Jure Civili, licet magnæ illud auctoritatis sit, Statuta tamen particularia nec restringi possunt, nec declarari; Sed possunt inde suppleri; Admodum enim diversa est horum ratio.

### XXVI.

Debitorem non posse exceptionem non numeratae pecuniae contra chirographum suum post biennium opponere, licet onus probandi in se suscipere velit, de Jure Civili verior sententia per l. 8. l. 10. & l. 14. pr. C. de non num. pec. licet contrarium ob æquitatem in praxi merito observetur.

### XXVII.

Transactio ob enormem læsionem postea apparentem non rescinditur, neque adeo ei applicari debet remedium l. 2. C. de rescind. vend. Hæc enim Lex innititur

titur illi æqualitati, quæ inter contrahentes utrinque sit  
observanda; Transigimus vero in re dubia ut a lite disce-  
damus l. 65. §. 1. ff. de Cond. Indeb. non ut uterque,  
quod ipsi debetur, præcise consequatur.

### XXVIII.

Impensæ in rem alterius factæ a possessore diversi-  
modo pro ratione fidei vel bonæ vel malæ, in qua ver-  
satus est, & pro natura ipsarum Impensarum aut deduc-  
untur, aut tolluntur; Sed si is, qui sumptus fecit, ne-  
glecta retentione, domino rem restituat non deductis  
impensis, huic Jure Romano nullam proditam esse actio-  
nem, qua sumptus a se factos consequatur, certum vi-  
detur per l. 33. ff. de Cond. Indeb. l. 48. ff. de Rei Vind.  
l. 14. ff. de except. dol. mal. ut & l. 21. ff. ad SCtum Tre-  
bell. Non dubito tamen, quin usu fori hodierno, ubi  
subtilitati Juris Romani non ita stricte inhæremus, talis  
impensa in rem alterius factas petere possit, hoc enim  
æquitas omnino requirit.

### XXIX.

Juramentum per procuratorem in animam alterius  
præstandum Jure Civili incognitum, imo nec Jure Ca-  
nonico receptum fuisse videtur; Quod vero moribus  
multis in locis admittitur, merito quorundam JCtorum  
reprehensionem incurrit, quam conscientiis hac ratione  
haud bene consulatur, perjurisque amplior locus con-  
cedatur.

### XXX.

Damnum etiam levissima culpa datum, si modo ne-  
gotij

gotii qualitas omnem requirebat diligentiam , vi Legis Aquiliae erat reparandum , per l. 44. ff. de Leg. Aquil. Si quis vero culpam simplicis omissionis commiserit , hunc ea actione conveniri potuisse vix credo per l. 13. §. 2. ff. de Usufruct.

### XXXI.

Inter Privilegia Studiosis concessa a quibusdam Dd. & hoc refertur , quod is , qui equum pro certa mercede locare est solitus , eundem etiam Studioſo ab Academia recententi locare teneatur , teste Lauterbach. in Coll. Pract. ad tit. ff. de Locat. Cond. §. 14. Sed , unde hoc Privilegium deduci queat , non video.

### XXXII.

Patris esse officium , filiam dotare , adeo ut vel invitus Judicis officio ad id compelli queat , patet ex L. 19. ff. de Ritu Nupt. Quæritur autem , si filia sit locuples , & propria bona pleno Jure possideat , an etiam tum a patre sit dotanda ? Quod merito negatur arg. l. 5. §. 7. ff. de agnosc. & alend. lib. Cessat etiam hic præcipua ratio , quæ dotis constituendæ onus patri impoluit , cum filia jam intuitu proprietorum bonorum conditionem facile reperire queat .

### XXXIII.

Commodatarius , cum in ipsius gratiam ut plurimum commodatum contrahatur , regulariter omnem etiam levissimam culpam præstare tenetur l. 5. §. 2. ff. Commod. vel cont. adeo , ut exorto v. gr. incendio rem commodatam propriæ rei præferre , illamque potius quam hanc

hanc eripere teneatur ; Si tamen res propria pretiosior fuerit, prudenter quidem faciet, si eam potius, quam viliorum commodatam eripet, sed nihilominus commoda rei premium commodanti refundet ; Sin absque ulla ejus culpa casu fortuito res commodata perierit, ad nihil tenebitur commodatarius.

#### XXXIV.

Pactum de retrovendendo Emptioni Venditioni adjetum rem ipsam non afficit, sed actionem tantum personalis tribuit Venditori contra Emptorem, ut hic oblata pecunia, rem venditam illi restituere sive revendere teneatur l. 2. C. de pact. inter Empt. & Vend. Quod si igitur Emptor rem tertio vendiderit, contra hunc tertium bonae fidei possessorem primo Venditori non competit rei vindicatio.

#### XXXV.

Potest depositarius, si quid ex occasione rei depositæ ejusque causa ei abesse cooperit, contrario Depositi judicio indemnitatē consequi l. 5. ff. Depof. Potest etiam eodem Judicio consequi impensas necessarias in rem depositam factas ; Quarērit jam an etiam ob hujusmodi impensas retinere possit depositum, donec refundantur ? Quod affirmamus, quoniam quicquid contrario Judicio quis petere potest, id etiam potest per retentionem consequi l. 18. §. 4. ff. Commodity.

#### XXXVI.

Venditio rei alienæ valet, etiamsi vendor sciverit rem esse alienam, l. 30. §. f. ff. de act. empt. non quidem in

C 3

præju-

præjudicium domini , sed cum eo effectu , ut venditor evictionem præstare teneatur , & emptor rem usucapere queat , quod tamen haud ita procedere videtur , si Emptor quoque non ignoraverit , rem alienam esse .

### XXXVII.

Ei , qui in divisione hæreditatis etiam privata tan-  
tum authoritate facta Iæsus fuerit , non succurritur ob  
quamicunque inæqualitatem postea apparentem nisi illa  
sit enormis , Iæsioque ultra dimidium sese extendat per  
l. 3. C. Commun. utriusque Jud.

### XXXVIII.

Liberi ex nefariis , incestis & damnatis complexi-  
bus nati a Successione Parentum excluduntur , imo ne  
quidem a Parentibus alendi sunt per Nov. 89. c. 15. quod  
tamen proprie intelligendum esse haud credo , cum pro-  
bable non sit , Imperatorem Justinianum voluisse , ut  
tales Liberi aut interficiantur , aut fame pereant .

### XXXIX.

Filiusfamilias , qui pecuniam mutuam accepit , Ex-  
ceptione Scti Macedoniani uti potest , ne pecuniam co-  
gatur reddere ; Quod si tamen Paterfamilias factus de-  
bitum solvit , cessat Sctum , neque solutum repetere  
potest ; Sed si partem tantum debiti solvit , num etiam  
ad residui solutionem a Creditore adigi potest sub præ-  
textu , quod partem solvendo totum debitum agno-  
verit ? Negatur per l. 7. §. ult. junct. l. 9. pr. ff. de  
Scto Maced.

### XL.

## XL.

Conditio ob turpem causam eo tantum casu datur, quando unice accipientis causa turpis est, l. 1. §. 2. ff. de Cond. ob turp. caus. Cum vero & dantis & accipientis versatur turpitudo, repetitio cessat. l. 3. ibid. Quid vero, si aliquid dedi, ut secundum me in bona causa judex judicaret, num dabitur mihi conditio ad repetendum id quod dedi? Affirmatur per l. 2. §. 2. ff. ibid.

## XL I.

Si quis nomen vendit, sufficit, si verum nomen præstat, licet id bonum non sit l. 4. ff. de Hæred. vel act. vend. l. 74. §. f. ff. de Eviæt. imo etiam si debitor jam venditionis tempore non solvendo fuerit, aut venditor evictionem promiserit, tamen eam ob causam ab emptore conveniri nequit.

## XL II.

Creditor, qui debitori suo cautionem reddit, debitum ei tacite videtur remisisse l. 2. §. 1. ff. de paæt. Sed si unius debiti plura Chirographa apud Creditorem sint, & unum horum Debitori redditum fuerit, tum obligatio tacite ei remissa censeri non debet, cum alium reddendi Chirographi scopum Creditor habere potuerit.

## XL III.

Constitutio generalis in Cap. Naturales 2. F. 26. qua liberi naturales, licet postea legitimi fiant, a succeſſione in feuda excluduntur, etiam eos videtur comprehendere, qui

qui per subsequens matrimonium fuerunt legitimati,  
quamquam hodiernis moribus hos ad successionem in feu-  
da admitti vulgo testentur Dd.

XLIV.

Vix dubitare licet, Virum magni Judicij Celeb. Ti-  
tium a torrente quodam præjudiciorum abruptum fuisse,  
(a) Jus Priv. Rom. Germ. lib. 9. cap. 16. §. 2. cuni asseveraret, (a) Disciplinam Ecclesiasticam à Deo nou-  
præceptam, sed potius rem rationi contrariam, non necessariam,  
inutilem, occasionem & fulcrum papatus esse; Num illa Eccle-  
siastica disciplina divini sit instituti nec ne, Theologis ex-  
cutiendum relinquemus, sed hoc defendemus, eam  
cum ratione optime conguere, atque ex ejus legi-  
timio exercitio nullas in Societate Civili  
turbas esse metuendas.

Tantum.








99 A 6933



Vd77



B.I.G.



# THESES JURIDICÆ MISCELLANEÆ,

QUAS  
SUB DIVINI NUMINIS AUSPICIIS  
DECRETO ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS

PRO  
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS  
RITE CONSEQUENDIS

DIE 29. JUNII A. C. CI. 10CCXXV.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOHANNES GRYNÆUS,  
BASILEENSIS.



BASILEÆ,

Typis E. & J. R. THURNISIORUM, Fratrum.